



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

Parisiis, 1644

IV. Vt presbyter diaconum vel subdiaconum deponere non praesumat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15324

I.

Vt oblatae, quae in sancto offeruntur altario, a comprouincialibus episcopis non aliter nisi ad formam Arelatensis offerantur ecclesiae. Quod si aliter aliquis facere praesumpserit, tamdiu sit a communione, vel a caritate fratrum seclusus, quamdiu ipsum coetus synodalis receperit.

II.

Vt monasteria, vel monachorum disciplina, ad eum pertineant episcopum, in cuius sunt territorio constituta.

III.

Vt abbatibus longius a monasterio vagari sine episcopi sui permissione non liceat. Quod si fecerint, iuxta antiquos Canones ab episcopo suo regulariter corrigantur.

IV.

Vt presbyter diaconum vel subdiaconum de ordine deponere nescio episcopo suo non praesumat. Quod si fecerit, illi in officio vel communione recipiantur, & ille anno integro a communione priuatus, officium implere penitus non praesumat.

V.

Vt episcopi de puellarum monasteriis, quae in sua ciuitate constituta sunt, curam gerant; nec abbatifacius monasterii aliquid liceat contra regulam facere.

VI.

Vt clericis non liceat facultates, quas ab episcopo in usu accipiunt, deteriorare. Quod si fecerint, si iunior fuerit, disciplina corrigatur: si vero senior, ut necator pauperum habeatur.